

VI. Cæterum cum formula illa, qua Deus in Juramentis vindex vel, quod eodem recidit, testis invocatur, accommodari debeat ad religionem aut persuasionem, quam circa DEUM fovet, qui jurat; quòd frustra jurare compellatur per DEUM quem non credit, metuitve: quæri hoc loco solet de obligatione juramenti per Deastros concepti, & an perjurium committat qui fefellerit? Circa quam quæstionem nobis ita videtur. Cum omnes omninò gentes religionem quandam foveant, cuius, saltem ex opinione suâ, veram, & quicquid demum DEUM credant, id (non aliter ferente ingenio humano) revera DEUM esse arbitrentur; adeoque sub quocunque speciali conceptu generalem Numinis notionem ante oculos habeant; patet sanè Jurantem per falsos Deos (quos pro veris agnoscere præsupponimus) & obligari, & si contra fecerit, perjurii reum esse. Utique enim Divinæ Majestatis reverentiam, quantum in se erat, violavit. Atque hæc sententia Grotii etiam est de Jure Belli II, 13, 12. quem paragraphum non opus est corrigere h. m. *Rectius per Deastros & falsos Deos præstitum juramentum non obligare asseri, nisi ex conscientia erronea, quæ habet vim obligandi sub ea, quæ concipitur, ratione, nempe qua existimant gentiles se per verum Deum jurare.* Nam Grotius non minus atque nos conscientiam erroneam allegato in loco præsupponit, uti vel obiter legenti ad oculum patet.

VII. Ulterius quæritur, an tale juramentum per falsos Deos conceptum accipere aut exigere sine peccato liceat? Et de accipiendo quidem res clara videtur. Nam qui Juramentum accipit sub formula illius religionis, quam jurans pro vera, ipse autem pro falsa habet, nequaquam ideo istius religionem approbat; uti v. c. qui à Judæo juramentum accipit, nullatenus consentit in ipsius sententiam, quæ negat unum Deum creatorem cæli & terræ esse patrem Domini nostri Jesu Christi. Num verò tale juramentum Christianus exigere debeat, dubio non caret. *Grotius d. l. negati-*

A 3.

vam